MICHAELIS BRVMMERI
LIPS. MISN.

DISPVTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS,


VTRVM TESTAMENTA PARTVRIENTIVM
INTER CETERA
SEQVIORIS SEXVS IVRA SINT VEL ESSE DEBEANT PRIVILEGIATA?

EX AVCTORITATE
MAGNIFICI D. RECTORIS
CORNELII VAN ECK ICti.
AD DIEM XVI. SEPT. ANNI cIↃIↃC XCV.
IN ACADEMIA VLTRAIECTINA
RITE PROPVGNATA

OB INSOLITVM
TRACTATIONIS ARGVMENTVM
RECVSA,
EDITORE
CHRISTIANO GOTTLOB REINHARDTO
ADVOCATO REG. ELECT. SAX.
QVI, NE ECKIVS IN POSTERVM AVCTOR HVIVS
SCRIPTIONIS HABERETVR, PRAEFANDO
EFFICERE VOLVIT.



IENAE, LITTERIS IOH. CHRIST. CROEKERI.
M DCC XXXXV.



LECTORI

S. D.

EDITOR.



Qvod plerisque alienarum tractationum praeconibus solemne esse videmus, vt vel magnificis scriptores, quibus praefantur, exornent elogiis, vel singularibus, per partes eundo, auctorem suum illustrent animaduersionibus, dissentiendi quoque, si quando iustam habere caussam se putent, adripientes occasionem, vel denique peculiare ex penu

ſua depromentes argumentum, paſtu non ſimplici lectores reficere ſtudeant, eorum, vtut praeſtantiſſima multorum, qui ſingula haec feliciter praeſtiterunt, proferri poſſint exempla, nullum, haec dum ſcribo, eligendi genus, haeſit mihi propoſitum. Prius enim auſurum, neſcio, num ex ratione magis laudandi, num laudatoris perſona, qui laudatiſſimus profecto ipſe eſſe debebat, ſi veras a ſe proficiſci laudes velit, deterreri oporteat? Alteram vero vel tertiam quo minus ingrediar viam, opella quam maxime ſuadet concinnior, quae introduci mox ad ſe ipſam lectores mauult, contrahique a praefante vela poſtulat magis, quam laxius agitari, aut in altiora extendi. Proinde, qui ampliores aliorum laboribus praefigendo diſcuſſiones, de re bene mereri litteraria cupiunt, horum nullus ego laudibus inuidebo, ſi ſalis pariter ac mellis pleniſſimas conſcribant praefationes, hocque modo eorum faſtigio propiores euaſuros ſe ſperent, quorum optima & excellentisſima in hoc genere ſtudia depraedicauit magnus ille, quem Georgia tenet Auguſta, polyhiſtor, Chriſtoph. Aug. Heumannus in Conſpectu Reipublicae litterariae Cap. VI. §. XII. p. m. 298. Ante vero,

vero, quam ad paradoxon ipsum, parturientium sistens testamenta, priuilegio spurio certe, a Brummero, vel quisquis demum hunc partum ediderit, donata, venire huiusmodi deliciarum curiosiores patiar, non possum, quin veritatis solo commotus studio, celeberrimum quondam Belgii ICtum, Cornelium van Eck, cuius tersissimam de septem damnatis legibus Pandectarum scriptionem iam excudendam similiter curo, absoluam vitii, a nonnullis acutioribus immerito ipsi adspersi, dum auctorem esse eundem existimarunt, publiceque in libris suis professi sunt, illius, quam nunc sisto, Disputationis. Sic profecto sensisse Strykium in Vs. mod. π. ad tit. de Testam. milit. §. IX. & Boehmerum, canitie meritisque venerabilem, in Doctrina Pandect. eod. tit. §. fin. si euoluere illos volueris, non dubitabis, dubitaturus iure meliore, verane hi scripserint, rectiusue negaturus, si paucis me adhuc praefantem audiueris. Ipse etiam, quod mireris, Heineccius, doctus ille Iupiter, dignus omnino, qui finem vitae, quae longaeui hominis esse, centumue demum annis terminari dicitur in L. LVI. π. de Vsufr. & quemadm. fuisset con-

ſecutus, dum ordine Pandectarum iubente, teſtamenta priuilegiata, audiente eum me aliquando Halae, quod aiunt, pro hoſpite, lectisſimae ſtudioſorum coronae explicabat, in fine tractationis pariter adiiciebat, inque calamum ſuis dictabat, vapulare merito Eckium, quod parturientes coram feminis teſtari poſſe ſcripſerit in ſingulari quadam Diſſertatione. Memini inſuper, breui quidem, at ſolidisſima concatenatarum veritatum argumentatione huius ſententiae patronos eum illo ipſo tempore confutaſſe, quia nimirum priuilegium ſit conſtitutio principis, haec vero ſpecies legis, legem autem condere ſoli competat principi; qua quidem in re ſi lapſam forte fuiſſe memoriam meam non nemo ſuſpicetur, certiore mentis fiducia falſa me non adpoſuiſſe, credent, quibus latus magni huius Gamalielis ſingulis quondam diebus ſtipaſſe, iucundisſime recordari, eiusque Dictata ſtudioſius adſeruare datum fuit. Vt ergo dicam, quod res eſt, nullo plane idoneo argumento magnos hos viros Eckio factum alieni capitis ſubſtituiſſe puto. An enim vt verum quisquam adſumere poterit enthymema, quia vt Rector Magnificus tum tem-

temporis auctoritatem impertiisse legitur vir ille incomparabilis defendendae publice Disputationi, ergo ex eius ingenio prodiisse paradoxon. Dii meliora. Haec si valeret consecutio, Theologis adiudicandae forent tractationes iuridicae, Medicis theologicae, &c. atque sic imis summa miscerentur, & susque omnia deque forent ruitura. At praefuit Brummero Eckius, solemniter propugnanti specimen suum inaugurale. Id vero gratis omnino adseritur, silente Disputationis inscriptione & titulo. Et quid si praefuisse etiam largiamur? Forte actum fore splendidiorem, existimabat Brummerus, moderatorem nactus certaminis tam celebrem ICtum, purpuraque academica conspicuum, cui ne in erroribus quidem aliorum dicis gratia protegendis, aquam haesisse arbitror. Sed quod maxime prohibet, Eckium credere auctorem tam insolitae meditationis, fortissimumque negantis sententiae robur, continetur Principiis eius Iuris Ciuilis, quae tantum abest, vt parturientium testamenta, qualia vult Lipsiensis, tueantur, vt potius in illo ipso loco, quo priuilegiatae recensentur singulae testationes, nempe sub Tit. π. de testam.

ſtam. milit. Part. II. p. m. 214. ſqq. ſpurium iſtud mulierculartum ius aeterno obuoluatur ſilentio. Nec in theſibus iuris controuerſi ab eo conſcriptis, vel reliquis ingenii monimentis, (nec enim agraphum eum fuiſſe ICtum putemus, ſi aliena ipſi non obtrudantur,) tale quid inuita Minerua & repugnante Themide excogitatum reperire vnquam potui. Quare veritatis amantisſimus Caſpar. Burmannus in Traiecto erudito pag. 90. ſequ. vbi vitam pariter ſcriptaque Eckii accuratisſima diligentia deſcripta nobis reliquit, hanc omiſit Diſputationem, ſua cuique tribuens, ſuisue ipſiusmet radiis ornatius ſplendeſcere Papinianum ratus. Nec praeterire nunc etiam poſſum, quem nunquam non ſumma cum veneratione in ore atque deliciis habere ſoleo, Celeberrimum & elegantisſime doctum ICtum, Andream Florentem Riuinum, cuius liberali manu effectum fuit, vt candidisſimo Typographo Ienenſi Iohanni Chriſtophoro Croekero praeſentis academici ſcripti, typis denuo imprimendi, copiam facere non nequiuerim. Is enim quae inſignis eius hodieque eſt humanitas, benignisſimaque erga me animi

ſui

ſui teſtatio, nihil eorum, quae ad rem litterariam ciuilem pertinere videbantur, latere me patientis, non ſemel ad me retulit, ne verbulum quidem Eckio, a quo tùm alia, tum tractationem iuris ciuilis teſtamentariam Traiecti quondam audiuerat, excidiſſe, quo patrocinii huiusmodi, molliori ſexui indulti, argui potuerit. τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; Nec enim niſi iniuria vereri mihi poſſe videor, ne ſeduci quis eo ſe patiatur, quod in reliquis conueniunt inter ſe Cornelius van Eck, atque Brummerus, collata huius Diſputatione cum Principiis illius iuris ciuilis, ex. gr. quod ordinem teſtamentorum priuilegiatorum eundem fere reperias, excepta inuenta nouiter a Brummero ſpecie, in prioribus Diſputationis theſibus, quem obſeruatum videmus in Principiis iuris ciuilis, ad titulum ſupra adlegatum; quod etiam porro, quae ad calcem Diſputationis conſpiciuntur Corollaria, quartum ſi demſeris, adfirmanda duxerit inclutus Belga ad tit. de iure dot. §. 14. pag. m. 100. & §. 17. p. m. 101. nec non ad tit. de iure Codicill. §. 11.

p. m. 228. Part. II. Nam ſi talibus quid momenti ineſſet, omnia certe omnes ſcriberemus, partusque noſtros ab alienis nunquam dignoſcere valeremus. Tribus adhuc moneo verbis, ne quis noſtrum Michaelem Brummerum cum altero illo, Friderico, cuius praeſtantia nouimus Opuſcula, temere confundat. Hic enim aquarum citius vi ſubmerſus legitur, quam noſter Traiecti ſtetit in cathedra. Vale, humanisſime lector, & quantum mereri videbor, faue. Scribebam Mersburgi.

Ipſis Kalendis Febr. A. R. S.

cIɔ Iɔ CC XXXXV.



Q. D.



Q. D. B. V.

Dum Circensibus molesta est pompa, multis non praefabor de argumenti nostri, quod hactenus latuit in Themidis sacrariis, quodque inde eruere desudaui Iurisprudentiae Candidatus, deliciis. Eo redit duntaxat votorum meorum summa, vt lucubratiuncula nostra qualis qualis & dedolatior & ornatior ostendi potuisset beatioris ingenii lectoribus; quos non aegre nimis laturos confido, si, cum mihi industriae vires erant periclitandae, primum patrocinium molli praebuerim sexui: id quod, aequitate certe & ratione h. e. anima legum & naturali iustitia (cuius meminit ICtus L. 13. §. 7. ff. de Excus. Tut.) potius quam planis textuum verbis suffultum, adparebit. Nec omnino, vt opinor, indigne; quandoquidem iudice CELSO, scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. L. 17. ff. de LL. L. 12. ff. eod. L. 6. §. 1. ff. de V. S. L. 8. C. de Iudic. & passim.

 THE-

THESIS I.

Antequam vero praeſens reſoluatur ζήτημα, non abs re fore arbitror, melioris intellectus gratia, paucula de *Teſtamentis*, iisque *priuilegiatis* praemittere. Teſtamentum, vocabuli venuſta quadam alluſione, conueniente ipſi rei, mentis vocatur teſtatio. *pr. I. d. Teſt. ordin.* Eſtque finitore MODESTINO ICto in *L. 1. ff. d. Teſtam.* voluntatis noſtrae iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit; vel, ſi mauis, tribus definire verbis & affabre: legitima heredis inſtitutio.

II.

Non vnum fuiſſe teſtandi genus Ciuili Iure nec non antiquitate cognitum eſt; qua conſtat, vſum recepiſſe veteribus temporibus Teſtamentum calatis comitiis, procinctum, per aes & libram: poſtea vero ex Edicto Praetoris formam aliam faciendorum Teſtamentorum introductam fuiſſe; paulatimque coepiſſe in vnam conſonantiam Ius Ciuile & Praetorium iungi, & ex vtroque conſtitutum fuiſſe ſincerum teſtandi tenorem *tot. Tit. I. d. ord. Teſt.* vnde apparet, teſtamenti factionem reſpectu ſolennitatum Iuris quidem Ciuilis eſſe, quoad originem vero, ſiue libertatem de bonis elogio vltimo diſponendi, multo antiquiorem, immo naturalem *arg. L. 21. C. mandat. §. 40. I. d. A. R. D.*

III.

Praeprimis Teſtamentum agnoſcimus ſcriptum & nuncupatiuum, illud ſcripto, hoc nuncupata voce conſici-

conficitur. §. 14. I. *de ord. Teſt.* confer. SVET. *in vita Horat.: vbi, deceſſit, herede Auguſto palam nuncupato: quum vrgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas teſtamenti tabulas.*

IV.

Vtrumque Teſtamentum tam ſcriptum, quam nuncupatiuum, ſolenne, vel non aut minus ſolenne eſt ſeu priuilegiatum; in quo nempe quaedam, vel omnes Iuris requiſitae ſolennitates remiſſae ſunt, ſicut apparebit ex ſeqq.

V.

Priuilegiatum a *priuilegio* ita dictum; id quod nihil eſt aliud, quam *priua lex*, a ſuperiore in priuatum conſtituta: Priuilegium enim Principis placitum, ſiue conſtitutio eſt, non generalis, quae, legis vim habens, omnes ſubditos tenet; ſed ſpecialis ſiue ſingularis, quae in gratiam alicuius rei, aut contemplatione perſonae lata atque data eſt. Dixi priuilegium eſſe legem *priuam*, quemadmodum *priua* pro *ſingulis* dixere veteres. *v.* GELL. *lib 10. c. 20.* FEST. *in Voc. Priu.* VOSS. *in Etym. &c.* Hinc patet priuilegium (quod alias praerogatiuam dixeris *Nou. 40. c. 1.*) eſſe aliud reale, aliud perſonale; illud, quod conceditur rei alicui, muneri vel conditioni, cuiusmodi ſunt immunitates & beneficia generaliter locis, ciuitatibus, familiis, condemnatis data *l. 4. §. 3. ff. de Cenſ. l. 29. ff. de Re iud.* hoc, quod immediate fertur in perſonam, vt perſonam, eique, donec eſt, cohaeret. *l. 196. ff. d. R. I. §. 6. I. d. I. N. G. & C.*

VI.

Quicquid autem loquatur TVLLIVS *lib. 3. d. LL. maiores nostri in priuatos homines ferre leges noluerunt*, inuenias nihilo secius, quibus indulsere iura variis varios fauores, praesertim in casu postremi arbitrii; siquidem id singulari iure interdum sustinetur, vt vt contra communes leges factum fuerit, quod proinde *priuilegiatum* dici meruit.

VII.

Eius notae perhibentur vulgo 1. Parentum inter liberos, quod fit sine vllis solennitatibus *l. vlt. C. fam. ercisc. l. 21. §. 1. C. d. Testam.* imo ne teste quidem vllo. FACHIN. *l. IV. controu. c. 1.* dummodo iuxta praescriptum Iuris noui manu propria genitor testamenti tempus, liberorum nomina & portiones plenis litteris non notis, exarauerit, neque extraneas suis heredibus personas miscuerit: quantum enim ad has, dispositio ea inutilis foret. *d. l. vlt. & l. 21. §. 1. Nou. 18. c. 7. Nou. 107. c. 1.* ZOES. *p. 577. n. 59.* DONELL. *6. com. 9.* HOTOM. *Cons. 56. 57.* GAIL. *2. Obs. 112. n. 7. & al.*

VIII.

Secundum est rustici Testamentum, seu potius ruri habitantium; vbi minor, quam septenarius, quem paganorum exigit institutio, id est, quinque testium numerus suffecerit. *l. vlt. C. d. Testam.* In hoc enim rusticitati, vt in aliis quibusdam, consultum fuit. *conf. D.* CHOPPIN. *de Priu. rust.*

IX. Suc-

IX.

Succedit tertium priuilegio munitum Testamentum, nimirum, quod per supplicationem auribus Principis insinuatum eius tenet conscientiam; id quod testibus haud indiget vllis, vtpote confectum Principe inter tot nobiles probatasque personas, quibus stipatus est continuo, medio, & toto quasi iure, teste, quale omnium testamentorum solennitatem exsuperat. *l. 19. C. eod. add.* PACHIN. *l. VI. Controu. c. 86.* BARRY *d. success. tit. 2. n. 4.*

X.

Cui proximum est Testamentum Actis siue libris publicis insinuatum & insertum *d. l. 19.* euidenti ratione: quod nullus actus probari melius potest, quam per acta, quorum fides non vacillat, publica. *§. vlt. I. d. Adopt. §. 2. I. d. Donat.*

XI.

His quidam ex Canonum Iure Testamentum adnectunt ad pias causas, quod coram duobus testibus valere (sed contra Ius Ciu. *vid. l. 13. C. d. SS. Eccl.*) vulgo contendunt *c. relatum XI. X. de Testam.* cum caetera Testamenta praeter numerum tot testium, parochi praesentiam quoque exigant. *c. 10. X. eod.* TIRAQ. *Tract. de Priu. p. c. priu. 1.* CLAR. *§. Test. qu. 6.*

XII.

Aliam Testamenti priuilegiati speciem exhibet, quod pestis tempore conditum: nam eius factioni etsi

non

non ſimul adſint teſtes, nil refert, veneritue vnus poſt alium, eam Iuris neceſſitatem remittente iuſto contagionis metu. *l. 8. C. d. Teſtam.* qui & id videbitur permittere, vt minor quam ſeptem teſtium copia poſſit ſufficere, equidem ſi peſtis ſummopere graſſans viduauerit ciuibus vrbem, vel illi in loca tuta receſſerint, metuentes ſibi a praeſentiſſimo periculo; quae opinio, ceu conueniens aequitati, arriſit iudicibus apud GAIL. *lib. 2. Obſ. 118. n. 18. & 19.* MYNSING. *1. Obſ. 96.*

XIII.

Caeterum maximum priuilegium reſidet in militantium elogiis: nam inter quam plura, quae colligere longum foret, eo quoque fauore gaudent, vt quomodocunque diſponant, ſicut poſſint ac velint *v. l. 15. C. d. Teſtam. mil.* tam propter nimiam ipſorum imperitiam, quam & praecipue quidem, funeſti belli functiones & ſumma pericula. *V. paſſ. T. Iur. de Milit. Teſtam.*

XIV.

Atque his obiter, ſed tamen vtiliter praemiſſis, non leui brachio diſceptabitur, quod in noſtra quaeſtione eſt. Id nulli non notum eſt, foeminas noſtro Iure haberi miſerabiles perſonas. *l. un. C. quand. Imp. inter pup. &c.* iuncta *l. 9. §. 5. ff. de off. Proc. & Leg.* Quis enim earum non miſereatur: nam praeterquam quod imbecillis & inconſtantis ſint animi, qui coelitus minus ſolet eſſe ditatus, non ipſae, ſed mariti funguntur, fruuntur & corpore & ſubſtantia & omni vita; quibus obſequia praeſtant, ſubeuntes pericula partus & liberorum procreationem, pro quibus multa legibus inuenta

eſſe

esse priuilegia, monet Imperator in *l. 12. C. qui pot. in pign.* quorum etiam longe plurima in libris Iuris nostri sunt obuia, tum ab aliis Imperatoribus fere omnibus, tum praesertim a Iustiniano nostro (Principe sexus muliebris amantissimo, & imperio, ac consiliis vxoris suae Theodorae addicto *v. Nou. 8.*) varie introducta, aucta atque confirmata. Ecce enim vt digito pauca commonstrem; foeminae dum citius maturescunt, ideo citius quoque a tutela liberantur. *pr. I. q. m. Tut. fin. l. 2. C. d. his qui veniam aetat.* Nam non sunt hodie in perpetua tutela, vt erant olim, donec per nuptias in manum mariti conuenissent, vel adoptatae essent. BOET. *12. Top.* VOET. *ad Inst. p. 315.* SVTHOLD. *diss. 3. n. 36.* vnde quoque maturius ad testamenti factionem contractusque ineundos admittuntur, si scil. postquam in tutelam suam venerint, nolint curatorum arbitrio regi *§. 2. I. d. Curat.* Nullum his imminet periculum non insinuatae donationis antenuptialis, tametsi 500. solidorum transcendat quantitatem *Nou. 127. c. 2.*

XV.

Vt vt autem mulieres testari, ocyusque queant, testes tamen esse in solenni testamento non valuerunt, licet in Codicillis recte adhibeantur, *§. 6. I. d. ord. Testam. cum §. vlt. I. d. Cod.* Ne praetermittam egregias pro mulieribus Iuris veteris correctiones inueniri: & enim illis, quae olim adoptare non poterant, iam licet *arg. l. 29. §. 3. ff. d. in off. test.* non quidem cum effectu patriae potestatis, sed ad orbitatis solatium, seu maritatae fuerint, seu virgines, ex quarum sinu foetus hactenus nullus effloruerat, *Nou. Leon. 27.* rursus quae Vo-

conia lege instituì quondam vetabantur, nunc possunt. HOTOM. *ad §. 4. I. de Hered. instit.* vbi & illud notari meretur, quod si legati nomine alimenta virgini sint relicta ad pubertatem, extendi eam ad quartum decimum aetatis annum *l. 14. §. u. ff. d. Alim. leg.* adhuc filiae inter caeteros exhaeredari amplius nequeunt. *pr. I. cum §. 5. d. exh. lib.* nati ex foeminis nepotes auo suo materno ab intestato non succedebant, quamdiu agnati erant superstites. *§. vlt. Inst. d. hered. q. ab intest.* quod & ipsum tanquam contra naturam iniuriosum matatum fuit. adde *l. 4. C. d. lib. praet.*

XVI.

Illud etiam pertinet ad foeminarum fauorem, quod excuset eas Iuris ignorantia *l. 9. C. ad SCt. Vellei. l. 2. §. vlt. ff. d. Iur. fisc.* Quod Velleiani SCti exceptione gaudeant. *tot. Tit. d. SCt. Vellei.* Cum plerumque etiam ipsius foeminae aduersus commoda propria inueniatur laborare consilium, iuxta verba *l. 4. in fin. C. de Sponsal.* quod mulier inops, licet & indotata, succedat marito etiam cum liberis ex iis progenitis in vsumfructum quartae, vel virilis portionis, pro numero natorum, qui si nulli inueniantur, in proprietate cum heredibus ab intestato aequaliter, dum semet ipsam, si dotem non attulerit, pro omni dote dedit. *Nou. 74. c. 5. Nou. 117. c. 5. Auth. Praeterea C. vnde V. & U.* Ne dicam, marito non licere quanquam alias dotis dominus perhibetur, mulieris immobilia alienare vel oppignorare *pr. I. q. al. lic. v. non. Nou. 6. c. 1.* Integrum esse vxori, dotem suam, vel stante matrimonio, repetere aut securitatem pro ea vrgere, vergente viro ad inopiam.

l. 29.

l. 29. C. d. Iur. dot. Nou. 97. c. 1. l. 22. §. ff. sol. matr. Dotem filiabus deberi etiam locupletibus *l. vlt. C. d. dot. prom. l. 6. ff. d. Collat. l. 19. ff. de ritu nupt. l 60. l. 69. §. 5. ff. d. Iur. dot.* nuda pollicitatione promiſſam aeque exigi poſſe, ac ſi ſtipulatio intercesſiſſet *l. 4. l. 6. C. d. dot. prom. l. vlt. ff. d. dot. coll.* Rerum aeſtimatarum in dotem datarum periculum ad maritum ſpectare, ita vt vſu mulieris deteriores fiant periculo viri *l. 10. l. 15. & 18. ff. d. Iur. dot.* praeter quae tam pingue mulieribus tributum eſt priuilegium in dote repetenda, pro qua tacitam hypothecam ac ius praelationis habent. *l. vlt. C. q. pot. in pign. Nou. 97. c. 4. Nou. rog. c. 1. §. 29. I. d. act.* iunct. *l. 1. ff. sol. matr.* MYNSING. *4. Obſ. 13.*

XVII.

Addo mulierum priuilegiis accenſeri, quod participes fiant dignitatis maritalis *l. 13. C. d. dignit. l. 8. ff. d. ſtat. hom.* vxori communicari priuilegia marito conceſſa, quamtumuis perſonalia, ſaltem quamdiu matrimonium durat *l. 6. C. d. Prof. & Med.* vel vidua manet in eodem ſtatu *l. 22. §. 1. ff. ad Municip. l. fin. C. d. bon. quae lib.* quod mitius illae puniantur, quas pro infirmitate ſexus minus auſuras eſſe confidimus, vti claret prae ceteris in crimine laeſae Maieſtatis *l. 5. §. 3. C. ad l. I. Mai.* adulterii *Nou. 134.* falſi *l. 1. §. 7. l. 15. §. 4. 5. ad l. Cor. d. falſ.* quod carceribus nulla de re ſint includendae. *Nou. 134. c. 5. 9.* abrog. *l. 3. C. d. cuſt. reor.* non incidant in SCtum Turpill. *l. 4. ff. de SCt. Turp.* quod abſtinendum ſit in honeſtarum praeſentia ab omni obſcoenitate verbisque turpibus, niſi iniuriarum teneri malis. *l. 15. §. 21. & ſeq. ff. de Iniur.* quod Canonico iure ſuccedant

in dignitatibus regalibus *c. significasti in pr. X. de rescript.* remanente interim iuris nostri regula, qua foeminae ab omnibus officiis ciuilibus vel publicis remotae sunt *l. 2. ff. d. R. I.* ne contra pudicitiam sexui congruentem, alienis nimiumque arduis se negotiis immisceant *l. 1. §. 5. ff. de Postul. quas conditio naturae* (infirmae scil. & fragilis *l. fin. C. d. Arb. arg. l. 1. ff. d. minor.*) *& verecundiae stola, vt taceant, cohibere debet.* VALER. MAX. *l. 8. c. 3.* nisi tamen 1. contrarium consuetudine sit receptum. 2. mulieri id iure hereditario competat, vel 3. Ex priuilegio Principis BRONCKHORST. *& alii ad dic. l. 2.* Quid dicemus, si de facto foemina munus obeat, inque habilitate sit putatiua, vt aiunt, in quali Barbarius ille fuit Philippus *l. 3. ff. d. Off. Praet.* & cum aliis, si fuit, Iohanna Anglica, quae, mentita sexum, omnium consensu Pontifex creata fuit? *Vid.* PLATINA *de vitis Potif. add. Clariss.* FRID. SPANHEMII *disq. hist. de Papa foemina.* Sane poenae loco pronunciauit Deus, si dominentur mulieres. *v. Es. c. 3. v. 12.* Vt adeo respectu gynaecocratiae dicendum, quod habet *l. 4. §. 3. ff. de Off. Procons. Melius quidem est sine vxore. add.* SCHOENBORN *Polit. l. 3. c. 12.* Ne vero hac parte, plus nimium dispalans, alia congeram benigna auxilia atque decreta, quibus Matronarum ordo fuit adornatus, remitto B. L. ad BENED. CARPZ. *Cent. posit. iur. d. Iur. foem.* KORNM. *d. Virgin. v.* VALER. MAX. *l. 5. c. 2. & al. pass.* Sane quantum stolae fauerit Caesar noster, ex hactenus dictis fuit manifestum; qui quidem adeo magni fecit vxorem, vt adhibuerit in consilium, vti iam supra dictum, suam *Theodoram, a Deo,* vt professus est & nomen loquitur, sibi *datam:* quin & eo fuerit progressus, vt Praesides in nomen eius iurare

rare

rare voluerit. *Nou. 8. 9.* vtpote quae quasi Imperii fuerat conseruatrix: nam seditione exorta, cum iam Imperator desperatis pene rebus, naues & fugam spectaret, animum ei vel addidit vel confirmauit, referente PROCOPIO *l. 1. d. Reb. Pers.*

XVIII.

Sed quorsum haec omnia? vt disquisitio ea de *parturientium Testamentis* expediatur commodius. Sed dixerit quispiam, frustra nos de mulierum testamentis disserere, quum quidam disputent: mulieres an sint homines? per *l. 38. §. 5. ff. d. Poen.* Nos eiuscemodi futilibus tempus non fallimus, his, qui serio de vtilioribus dubitant, responsuri. Scil. ambigunt nonnulli, an fas sit foeminis citra consensum saltem maritorum testari? Dum enim per nuptias mulieres proprias se Domino suo dicant, eiusque potestati subiiciuntur, res etiam eiusdem arbitrio gubernantur *l. 8. C. d. pact. conu.* vt adeo contrahere sine viri consensu non possint, nedum testari. PECK. *de Testam. coni. lib. 3. c. 1.* ea ratione, quod cum mariti sint quasi vxorem suarum Curatores, prouidere debent, ne illae exclusis proximis profusaque liberalitate ac indiscreta, bona sua alio per testamenta transferant; ne dicam, prisco Romanorum instituto Ius potestatis maritalis, & acerbius quidem exercitium fuisse, constare exemplo Plautii, quando de Pomponiae Graecinae capite cognouit. TAC. *l. 2. Annal. 13. vid.* AVL. GELL. *lib. 18. c. 6.* quo facit Pomponii ICti suppositio in *l. 10. §. 1. ff. solut. matr. arg. l. 11. C. d. nupt. l. 2. ff. d. exh. lib.* cesso nimirum marito parentium eo iure:

Qui genero sua Iura simul cum dote dederunt.
Catull. in carm. nupt. & *arg.* *§. 2. I. ad SCt. Tertull.* possunt tamen defendi leges Romanae posteriores, & mores sine consensu mariti mulieribus tribuentes testandi facultatem; cum testamenti factio non debeat ex alieno pendere arbitrio. *l. 32. ff. de hered. inst.* quo fit, vt legibus Romanis Societas coniugalis, si forte expresso pacto inter coniuges contracta sit, non tollat ius testandi, sed liberum sit alterutri coniugum de rebus suis disponere. PEREZ. *in C. q. Test. fac. poss. n. 11.* & *v. l. 1. ibid.*

XIX.

Sed an communi Iure id facere praecise debeat, eo quo parturit tempore, an vero in naturae vinculis habitura est vxor libertatem testandi, quo velit possitque modo? Sane res loquitur, non contineri, mulieres nostra quaestione innuptas, neque steriles; ambae cedunt nuptis atque foecundis matribusfam. Coelibatum ab omni aeuo perosum fuisse, testatur Historia: Sic ferunt Lycurgum praecepisse, vt a ludis arcerentur coelibes, ducerenturque per forum cantu ignominioso. Apud Rom. qui detrectabant coniugium, poena multabantur pecuniaria, nec Censores esse poterant. *v.* ALEX. *ab* ALEX. *Gen. dier. lib. 4. c. 8.* VALER. M. *lib. 2. c. 9.* CIC. *d. LL. lib. 3. c. 7.* ex aduerso foecunditati & πολυτεκνίᾳ fauores concessisse quam plures. *v. l. 1. C. q. num. lib. se exc. pr. I. d. exc. Tut. l. 1. C. d. LL. l. 5. §. 2. ff. d. Iur. immun. l. 9. C. d. Decur. l. 6. §. 5. ff. eod.* Quamuis dotis priuilegium sterili adimere non auderem, quoniam mulieri non parienti nil imputandum, sed naturae SCHNEIDW. *ad Inst. p. 440.* Proinde si considere-
mus

mus numerosae sobolis fauorem esse maximum, inque ea producenda foeminam plurimum molestiae ac discriminis, sudoris, laboris, doloris subire. *d. l. 12. C. pot. in pign.* partum ei excindi non semel, spemque animantis cum grauida posse perimi *v. l. 2. d. mort. inf.* (quare puerperas voluerunt in certo quorundam Numinum praesidio esse. *v.* ROSIN. *antiq. lib. 2. paralip. d. Diis puerp. It. d. Dian.*) Ecquis non extenderet miserabilis foeminae priuilegium ad factionem testamenti qualem qualem, cum septem testium, & quidem marium, copia haberi requeat, qui cum Testatrices, *fessa malis*, ad instar Alcmenae Herculem parientis OVID. *in Metamorph.* nimiumque imbecilli, quam aut scribere, immo vnam pingere literam valeat, nesciatue subsignent tabulas? a DD. enim communiter receptum est, testamentum (quia fauor eius magnus est, *l. 5. ff. Testam. quemad. aper. l. 10. ff. d. inoff. Test.*) sine solemnitate requisita factum, subsistere, si eo tempore, quo fieret, solennitas adhiberi non poterat. *v.* BECK. *d. Test. coniug. lib. 3. c. 18.* cum impossibilium nulla obligatio sit, nec necessitas legem habeat. PARBOS. *Pr. & Loc. Com. Lit. I. n. 11. 12. Lit. N. n. 6. 7.* facit arg. *l. 13. §. 7. ff. d. Excusat. Tut. l. 21. 39. §. 1. ff. d. leg. 3. l. 2. §. 3. & 8. si q. caut. l. 9. 10. 16. ff. ex q. causis mai. l. 7. C. d. contr. iud. tut. l. 8. ff. d. Test. l. 6. §. 9. ff. d. Off. Praes. l. vlt. in fin. C. d. modo mulct. c. 8. X. d. Appellat.*

XX.

Equidem nuncupata inter medios mille eiulatus voluntate, aut *quocunque modo* significata, sine vllis licet, aut non sufficientibus testibus, sine vllo Iurisperito, potius

potius iuxta rationem animi quam nimiam illam miseramque diligentiam *l. 1. & 14. C. d. SS. Eccl. l. pen. §. vlt. ff. d. legat. 2.* cassa non sint iudicia, quae *puerperae exsilis*, vt HORAT. immo femineis lingua balbutiens profudit *v. l. 15. Cod. d. Testam.* cum vel obstetrices probatae fidei, aliaeque mulierculae studiose puerperam obseruantes atque curantes, voluntatem nudam testantes audiri debeant. *arg. Tit. ff. d. Vent. insp.* neque enim istis (quae non minus atque viri pro medicis habentur, quia medicinam exhibent *l. 1. §. 2. ff. d. extr. cognit. l. 1. pr. C. comm. d. leg. l. 1. §. 5. C. d. comm. seru. man.*) duntaxat credendum erit, si de virginitate probanda, ventre inspiciendo vel potentia coeundi agatur. *l. 1. ff. eod.* THOLOS. *Syntagm. lib. 18. c. 25. n. vlt.* Quid si enim in gratiam nascendorum pia mater, sed fatigata, animam efflare, quando foetum protrudere nequit, debeat? (Siquidem non omnes sunt Canidiae mulieres, cui erat HORATIO teste Epod. 17.

Hospitale pectus & purae manus
Venter partum eius:

i. e. qui partui aptus & facilis. *v.* FAB. *in Thes. verb. Pario)* nonne voluntas fiet sua, tanquam si inter liberos dispositum fuerit, quod secreto fieri posse, supra ostensum fuit. Certe calamitas matris non debet nocere ei, qui in vtero est *pr. I. d. ingen. l. 17. C. d. vsufr.* qui vtique quoad commoda pro iam nato & edito censeri debet. *l. 5. 7. & pen. ff. d. stat. hom. l. 231. ff. d. V. S. l. 1. §. 9. ff. vnde cogn. l. 14. C. d. fid. lib. pr. I. d. bon. poss. l. 1. C. de postl. reuers. l. 2. §. 3. ff. d. Decur. v.* ANN. ROB. *rer. iud. lib. 3. c. 13.* ac proinde ad eam hereditatis partem admitti debebit, quam mater propriis suis visceribus relinquendam praeceperit. *l. 3. ff. si pars hered.*

l. 7.

l. 7. ff. de Reb. dub. fac. l. 11. §. 12. l. 21. d. leg. 3. l. 39. §. 1. eod.

XXI.

At instet contradictor: foeminis non magis succurri quam aliis, nisi in casibus a Iure expressis. *l. fin. C. d. I. & f. ign.* ALEX. *cons. 165. lib. 6.* hinc ne mulierem quidem iuuari in omnibus his, quae sunt inducta pro forma actus, vt in Testamentis, vbi requiruntur nota solemnia; nec, si praetextu ignorantiae inuentarium non confecerit; aut intra annum & diem inuestituram non petierit, restituendam esse, si peritiores consulere potuerit, & sim. *v.* PECK. *ibid. l. 1. c. 34.* Quicquid tamen haec & centum alia vera esse statuant, durum tamen molli sexui foret, istum (sed in casu partus duntaxat) prohibere a priuilegio testandi sine ritibus istis ordinariis, quos vtique adhibuisset, nisi parturiisset, nunc & testibus masculis & notario accedere, propter rationem honestatis & pericula ex festinata monitione erubescentibus, nec audentibus voluntatem alias perfectam excipere: quae aeque ex oribus circumstantium & adiuuantium constare, quam ex charta, potest; alioquin testamentum, cuius perfectio siue consummatio potius in aduentum Tabellionis collata erat, si interim testator decedat, non teneret per *l. 29. ff. q. test. fac. poss. l. 11. §. 1. d. leg. 3. l. 55. ff. d. leg. 1. arg. l. 17. C. d. fid. instr. l. 2. C. d. sent. ex breu. rec.*

XXII.

Obiecerit deinceps quispiam, mulierem debuisse praeuidere huiusmodi casum, quem non poterat non

expectare post coitum? Resp. Etsi puerperium, iudice Deo, dolores nunquam non infandos habeat adiunctos, tristis tamen vi maiore casus euenire potest, quem prae oculis habere nemo possit nec debeat; casum enim aduersamque fortunam spectari neque ciuile neque naturale est. *l. 83. §. 5. d. V. O.* maxime si tam subito, vt in partu potest, ingruat. Quid si enim mulierem quis vehendam naui conduxerit, deinde in naue infans natus fuerit *l. 19. §. 7. ff. locat.* sicut doloribus circumuenta Iohanna Pontifex, cuius memini *th. 17.* in via peperit. PLAT. *ibid. l. c.* Interim affectatum impedimentum non excusat. *l. 2. §. 2. & pass. ff. si quis caut. in iud.* vt sileam, saepenumero caussam testandi inopinantem non prius habuisse, vel quod facultatibus nunc subito aucta sit, vel quod ex liberis vnus alio melius quam ante mereatur, aut egentior sit, & si quae sunt praeterea eiusdem monetae.

XXIII.

Nolim tamen in parturientium partes indistincte concedere nimisque conniuenter, vt, si aliter atque fas est, testatae fuerint; fortean si nimiam inaequalitatem inter liberos constituere velint, aut in eorum grande praeiudicium quidpiam agere, vel exheredare ob iustam etiam causam, primum si praesumant, naturae & scripti Iuris leges violarent. *l. 7. C. d. coll. l. 77. §. 25. ff. d. leg. 2. l. fin. C. d. bon. proscr. l. 7. ff. d. bon. damn.* Si tamen nulla euidens ratio appareat: loquor autem de nimia inaequalitate, ex qua inimicitiae & odia inter fratres pullularent, & ex qua iniustum aliquod oriretur. *l. vlt. C. d. coll. l. fin. C. d. bon. q. lib.* nam vni liberorum plus

plus quam alteri conferre licet propter merita & culpas. *l. 1. C. d. in off. test. l. 7. C. d. in off. don.* atque alioquin frustra remitteretur ordinaria solemnitas in testamento inter liberos, si illi veluti ab intestato in aequales portiones matri succedere deberent; si vero fulmine testamentario liberos percutere parturientes tentauerint, rei faueremus odiosae, si huic faueremus *l. 19. ff. d. lib. & posth.* si quidem priuilegium in dando, non adimendo, consistit. *Nou. 107.* quod si facerent, odium proderent, non maternam pietatem, cui lex Ciu. liberorumque amori tantum tribuit *l. 11. C. d. negot. gest. l. 17. C. d. postl. reu.* vt ad primordia Iuris naturalis vel ad Ius gentium primaeuum (cui ignota sunt scrupulosi Iuris puncta, stricturae & apices) testandi facultatem referre debeamus. Addo, si mulieri, testanti in fauorem piae causae, non obseruanda sunt Iurium anxia solemnia, *v.* PECK. *d. Test. coni. lib. 3. c. 4.* TIRAQV. *d. priu. p. C. pass.* certe huic eadem remitti debere, si in liberorum commodum (quorum causam esse pia fauorabiliorem non inficiabere) parturiens disposuerit, iam eo tempore, quo tantum exantlat misera.

Mors quem inus poenae, quam mora mortis habet.

XXIV.

Rursus, sicut male meritis temere indulgeretur priuilgium, imo vero illud auferendum sit talibus, quia se legum beneficio indignas reddidere *l. 3. in f. C. d. Epis. aud.* ab hoc fauore excludimus scorta ista, prostibula, pellices & meretrices & quotquot denique vetitam legibus, eoque vitam turpissimam elegere *l. 43. ff. d. R. N.* publice venalem habentes pulchritudinem multorum-

que libidini patentes, nec parcentes pudori: quae merito *improbissimae* vocabantur, cum Carfania, *foeminae l. 1. §. 5. ff. de Postul.* quarum tantum fuit odium apud Rom. vt exheredari meruerint *l. 19. C. d. inoff. Test.* nec facultatem habuerint acceptandi legata & hereditates. SVET *in Domit.* Octauianus Caesar filiam suam, quae male & luxuriose vixerat, quamque idcirco in insulam antea relegauerat, humari in suo sepulchro vetuit. DIO CASS. *lib. 86.* Sicuti apud Corinthios Periander Rex omnes, quae pudorem prostituissent, in vndas submersit. *Teste* HERACL. *lib. d. Pol. in Pol. Corinth.* v. omnino THOLOS. *Synt. lib. 10. c. 2.*

XXV.

Similiter indignas priuilegio pronunciamus, quae abortui causam dare, vel annixae fuere vel studuere quouis modo. v. THOLOS. *Synt. lib. 36. C. 15. n. 17. & sqq.* quippe cum maximum & praecipuum sit foeminarum munus, concipere & tueri conceptum *l. 14. §. 1. ff. d. Aed. Ed. l. 1. §. 2. C. d. ind. vid. toll.* indignae habebuntur eiuscemodi male feriatae mulieres, si abortum vel fecerint vel parauerint, siue per cincturam nimis strictam, vt Coriolani neptis, vel per saltationem immodicam, vt Curii triumphantis soror, vel per variorum ciborum ingurgitationem, vt soror C. Diuellii, vel per consternationem subitam, vt Iulia C. Caesaris filia, Pompeii vxor; vel per haustum, medicamina, aliasque vias, *quae hominibus ad malitiam* sunt *multae in Nou. alibi.* ne dicam eam, quae partum abigit, ipsa interdum morte mactari *v. l. 4. & ib. gloss. ff. de extr. crim. l. 39. ff. de poen. & sim.*

XXVI.

Quid dicemus de mulieribus enitentibus partum extra legitimum nascendi tempus? simulantibus praegnantiam? partum supponentibus? *propriis se seruis iungentibus Rubr. Cod?* commaculantibus se seruorum adulterio? lenocinium exercentibus? aliisque capitulis huc spectantibus; de quibus disserere speciatim, instituti nos ratio vetat.

XXVII.

Illud addendum est adhuc pro priuilegio ventris, quod praegnans mittatur in possessionem bonorum *v. Tit. d. Ventr. in poss.* eique quoad partes hereditarias sit prospectum, prout dictat *l. 3. l. 4. ff. si pars hered.* quod mulier praegnans, criminis peracti rea, interim nec torqueatur, imo nec quaestione terrenda. *Cl.* MATTH. *d. crim. Tit. d. quaest. n. 13.* tum ante tum post partum, si puer necessario lactandus esset, deficiente nutrice. *ibid. n. 8. add. dict. D.* MATTH. *Tit. d. sentent. c. 6. n. 4.* nec punietur & semper, adeoque etiam post partum, lenius. *l. 3. l. 26. ff. d. poen. l. 18. ff. d. stat. hom. supplicia enim praegnantium lex differri in diem partus iubet.* QVINT. *in decl.* 277. AELIAN. *lib. 5. hist.* quod tamen Claudius neglexit, cum is ne quidem praegnantium mulierum supplicio abstinuerit. DION. *lib. 57.* BRISSON. *2. Antiqu. 20.* pessime! nam quod filii paterno debeant perire supplicio, exemplo iuris tum diuini tum humani aduersum est; (atque adeo hoc nomine vix ac ne vix quidem ἀδικίας excusanda *l. 5. C. ad L. Iul. Mai.*) quia poena suos debet tenere autores, nec innoxii sunt plectendi, multo minus duo pluresue propter vnius sontis crimen, id quod aequissima Aegyptiorum lege cautum

 fuisse

fuisse inque curiis seruari ex Diodoro & Paponio *d. arrest.* refert SCHNEID. *ad Inst. Tit. 3. n. 4.* Aliud est pro praegnantibus sancitum, ne vapulent ab vllo; cui cum iure diuino *Exod. 21. comm. 22. & sq.* consentanea est lex salica v. THOLOS. *Synt. lib. 36. c. 15. n. 21.* Caeterum grauiditate vxoris virum ab hostibus captum nil amittere, auctor est Iulianus in *l. 23. ff. d. capt. & postl. reu.* postremo mulier quae, ventris doloribus impulsa, latrinam accesserat, & partum in Cloacam effuderat, asserens, nesciuisse, se grauidam fuisse, qua poena puniri debeat, meminit OSASC. *Decis. 60.* allegante GODOFR. A BAVO *Pr. & Theor. crim. ad §. venen. n. vlt.* add. SAND. *Decis. Fris. lib. 5. Tit. 9. def. 3.*

XXVIII.

Hisce in gratiam praegnantis, (quae *pleno* dicitur *ventre*, ad oppositionem eius, quae est *vacuo l. 84. d. A. V. O. Hered.* vel *graui* esse *vtero l. 11. ff. d. Iur. Cod.* in vtero *gestare*, *habere*, *vehere l. 4. ff. d. SCt. Syllan. l. 30. §. 6. ff. d. acqu. hered.*) annectenda quaestio est, si maritus instituerit ventrem vxoris heredem, qui vocati censeantur? „Cuius rei arbiter est VLPIANVS in *l. 4. ff.* „*d. posth.* vbi, cum maritus posthumum heredem scri„bit, non is vtique solus posthumus scriptus videtur, „qui ex ea, quam habet vxorem, ei natus est vel is „qui tunc in vtero est; verum is quoque qui ex quacun„que vxore nascatur. Recte! vt scil. nascendorum nemo possit se dicere praeteritum, aut rumpere testamentum: cum par erga omnes liberos praesumatur affectio. *fac. l. 17. pr. §. 1. ff. d. leg. 1. l. 16. §. 1. ff. d. Test. tut. l. 81. ff. d. hered. inst.* Est & textus in *l. 14. C. d. fid. lib.*

lib. qui maiorem in modum conducit; vt adeo errent, qui tuentur contrarium, putantes, ventris nomine non venire, nisi praegnantem praesentem. Alii opinantur, rem debere dirimi ex sermone testantis determinato vel simplici; sane aiunt, si vir ignorauerit, vxorem in ventre quempiam *portare* vel *vehere*, vt loquar verbis *d. l. 14.* vnum aeque atque alium respexisse videtur: at vero anne is, qui ventrem vxoris instituit, possibile aut probabile saltem est, ignorare eam ex se grauidam esse? pro affirmatiua *v. l. 3. §. 5. ff. de ini. rupt. irr.* Nec mouet, testatorem, si de aliis cogitasset, de omnibus peraeque dispositurum fuisse: vtitur enim ICtus formula generali *(quacunque)* quae comprehendit omnia *arg. l. 240. ff. d. V. S. l. 52. 71. & 79. ff. d. leg. 3.* Imo quod magis est, videtur amplianda decisio ad eos quoque, qui ex posteriore vxore progeniti fuere. *l. 5. ff. d. lib. & posth. l. 28. §. 2. eod.* Quin imo tam ex viuo, quam exsecto vtero editos. *l. 12. ff. eod. l. 1. §. 4. & 5. ff. ad SCt. Tertull.* & ad natos ex concubina, licet non integros, si tamen cum spiritu: Nam quando fit mentio de partu respectu viri generantis, verissimum est dicere, quod ex semine patris partus productus sit; vnde siue vxor decedat parturiens, siue quando iam peperit, partus eodem modo descendit a patre tam naturaliter, quam respectu affectionis paternae *arg. l. 29. ff. d. neg. gest. arg. l. 6. ff. d. inoff. test. d. l. 12. ff. d. lib. & posth.* Atque haec ita quidem, nisi enixa sit mens & voluntas testatoris in contrarium: quid si enim is restrinxerit loquelam ad ventrem vxoris, quae *tunc* praegnans est? *l. 10. ff. eod. arg. l. 109. pr. de leg. 1. l. 89. §. 1. d. V. S.* quandoquidem verba in

vanum

vanum accipi non debent, ſed cum effectu, vtque aliquid operentur. BARBOS. *pr. & loc. Comm. lit. V. n. 10. 11.* Haec itaque pro temporis ratione, Beneu. Lector, excuſſa

- - - - qualiacunque
Arridere velim, doliturus ſi placeant ſpe
Deterius noſtra.

COROLLARIA.

I.

Mulier in Codicillis teſtis eſſe poteſt.

II.

Maritus eſt Dominus dotis.

III.

Dos etiam debetur filiae locupleti.

IV.

L. 5. C. ad L. Iul. Mai. iniuſtitiae excuſari non poteſt.

F I N I S.

